

XI. 1⁸ = a.

(cat. 4, 22-33^b)

50.
412.
COMMENTATIO EPISTOLICA
QVA INQVIRITVR:
AN IN VNIVERSITATE, LOCO AMOENO
ATQVE IVCVNDQ SITA, ALTIORIBVS STVDIIS
IVCVMBERE CONDVCAT?

INSIMVL
VIRIS DOCTISSIMIS AC NOBILISSIMIS
ENGELBERTO HENRICO
SCHWARZIO

NOTAR. PVBL. CAES. ET IVRIS CANDIDATO
DRESD. MISN.

DE STVDIIS ACADEMICIS SVMMA CVM LAVDE
AD FINEM PERDVCTIS

NEC NON

GODOFREDO HENRICO
GRVMMERT

BIALA-POLONO

DE IIS IN ALMA NOSTRA ACADEMIA
FELICITER PERACTIS

NOMINE SOCIETATIS

QVAE SVB PRAESIDIO

VIRI MAGNIFICI ATQVE EXCELLENTISSIMI
IO. CHRIST. GOTTSCHEDII

P. P. O.

DISPVTANDO SE EXERCET


EX ANIMO GRATVLATVR

IO. GEORG. FRIDERICI, Leg. Cultor.

LIPSIÆ, LITTERIS BREITKOPFIANIS.

9
4

COMMITTATVS HISTORICA
AN IN VNIVERSITATE BOGDANOVIENSIS
HABITANTIS
HIS DOCTRINIS AC INSCRIPTIS
HENRICO SCHWARZIO
DEUS IN ALMA BOGDANOVIENSIS ACADEMIA
NOMINE SOCIETATIS
IOHANNES GOTTFRIEDUS



V I R I
DOCTISSIMI AC NOBILISSIMI
AMICI SVAVISSIMI.

Non equidem Vos praeterit, quanta sit cum voluptate coniunctum, animum discendi cupidum in vrbe quadam, amoenitate situs commendabili, et laetitiarum quasi et deliciarum domicilio, scientiis et artibus liberalibus imbuer. Nostis praeterea, quantum sit commodum, in tali Musarum sede actatem doctrinis litterarum consecrare: neque Vos rationes fugiunt, quae praeterea almam hanc Lipsiam praestantissimam studiorum

diorum colendorum matrem efficiunt. **V**OBIS tamen an-
nuentibus ea, quae hac de re differi possunt, pro tenuitate inge-
nii, paucis exponam. Breuia tamen haec erunt, neque cuncta
complectendi animum cupido incescit.

Nemo sane in dubium vocabit, mentem atque corpus in
arctissima quadam esse coniunctione; ita vt partim illa de qua-
uis grata vel molesta huius perceptione participet; partim hoc
quoque, mentis vel gaudium vel tristitiam et sentiat, et per in-
dicia quaedam externa declaret. Rem experiundo cognosci-
mus, nec est cur eius probationem addamus. Modus vero, qua
ratione haec communicatio peragatur, variis quidem Philoso-
phorum hypothefibus explicatus traditur, quarum tamen nulla
ita est comparata, vt nihil quod obici possit restet. Neque
meum iam est, hypothefes illas vberius exponere, vel **V**OBIS;
rerum philosophicarum peritissimis, interpretando explanare:
vel tribus verbis mentionem huius rei fecisse sufficit. Stu-
diis igitur intento, propter hoc vinculum animae et corporis
quam maxime conducit, animum habere hilarem et tranquil-
lum, a circumfufis quibusuis molestiis liberum, corpusque
ipsum prospera valetudine praeditum. Etenim siue tempus
scribendo, siue legendo, siue denique meditando consumatur,
sane non facile pangi aliquid sophocleum, neque veritates per-
lectae comprehendendi poterunt, nisi corpus sit sanum, animus re-
cte valens et hilaris. Quid enim homo male adfectus, vel or-
dinate vel apposite cogitare potest? eo quod mens semper do-
loribus illis, qui eam premunt agitatur. Hinc qui in artibus
ingeniuis versatur, in id incumbere debet, vt

fit mens sana in corpore sano.

Ad id vero obtinendum aëris temperiem et loci situm amoe-
num quam maxime conducere, nemini ignotum esse credo.
Hinc quoque legimus, Romanorum doctissimum Marcum Te-
rentium Varronem, cum mansuetioribus Musis operam daret,
id

id in Tusculano suo egisse: et Oratorum latinorum princeps
*hos dies Tusculanenses vitae instar putabat.** Quem vero latere
potest, hanc villam fuisse locum amoenissimum et ita penitus
comparatum, vt animo tranquilliori studiis se totum tradere
potuerit? Ita Plinius quoque Laurentino suo, ob gratiam villae
et opportunitatem loci, prae primis delectatus est, vitam ibi per-
actam, rectam sinceramque, dulce otium honestumque appella-
vit. Huius Musei amoenitatem et gratiam elegantissime in
aureo libro Epistolarum ** describit. Praeterea ea est animi
nostri conditio, vt, dum legendo et meditando eius vires subin-
de diminuuntur, in loco quodam iucundiori, aurae refrigeratio-
nem post operas captare necesse habeamus, quo iterum ad vl-
teriores rerum diuinarum humanarumque contemplationem
is aptus reddatur. At haecenus a me dicta potius impedimenta
studiorum esse videntur: siquidem per rumores in magnis ci-
uitatibus oriri solitos, cogitationes dispergantur, animus vero
nimiis a libris et studiis auocetur oblectationibus: potius ita-
que locus ad studia tractanda solitarius, ab omni voluptate re-
motus esse deberet; quo animus, in cognoscendis ac funditus
percipiendis doctrinarum diuitiis, tranquillior, ingenii et indu-
striae nervos intendere possit. Haec magnam habere veritatis
speciem nec omni ratione esse destituta fateor; minus tamen
ea sententiae meae deprehendo contraria. Satius omnino est,
Museum in loco quodam ab hominum et vehiculorum strepi-
tu remotiori positum habere: attamen locus iste non abstru-
sus, gratus potius et voluptuarius esse debet, quo animum et iu-
cundissimae lectionis voluptate implere, et deinde fatigatum re-
laxare possimus. Accedit, quod Museum hoc in ciuitate cele-
briori, in primis liberalibus studiis florente, situm esse debeat:
etenim semper homines generis claritate, doctrinae soliditate,
et virtutum eminentia praestantes et conspicui intra haec moe-
nia versari solent, ex quorum commercio, quod, quantum ef-

* *Cic. IX. ad Diverf. VI. n.*** *Lib. II. ep. 17.*

ficere possumus nobis parandum est, maximum emolumentum capitur; nec non ars, mores et naturas hominum, coniectatione quadam sciscitandi, eorumque se moribus accommodandi optime addiscitur. E contrario in loco solitario praerogatiuis hisce omnibus destituti sumus: desunt quae vitam, quae studia, quae quotidianam nostram consuetudinem, quae denique sermones suauiores gratioresque reddere possunt. Verissimum sane est tritum illud:

Qui proficit in litteris et deficit in moribus

Plus deficit, quam proficit:

Vnde vero morum elegantia melius atque facilius addisci potest, quam ab iis, qui virtute elucent? hi autem semper in republica bene instituta, quam suauitas loci amoeniorem facit, viuere cupiunt. Quae cum ita sint, in Academia celebriori, quam situs aliaque deliciae iucundiores reddunt, animum litterarum studiis imbuerere, quam maxime conducere apparet: non enim semper libro aut pugillaribus imminere litterarum amatori conuenit; animo quoque aliquod interuallum dandum sanitati que corporis consulendum est: hinc tali loco laboribus fractus animum pascere, corpus variis exercitiis appositum reddere, ex commercii suauitate cum doctissimis, eorumque virtute, iam multis in rebus conspicua atque praenitente optima quaeque proficere; imo cum ad socialitatem colendam natus sit, ad eam se idoneum efficere potest, dum scit excutere diuersorum facultates ingeniorum. Hae et aliae praerogatiuae quam plurimae, quas quidem haec pagina complecti nequit, satis confirmant, eiusmodi locum, quem quidem descripsi, ad vitam academicam transigendam esse eligendum. Lipsiam talem esse Apollinis sedem quis negabit? ubi quisque varii generis oblectamenta, quae quidem optare potest, inuenit: Hinc per dies litterarum cultores recitationibus publicis et priuatis diligenter interesse, et ad eos ex cathedra doctrinae nectar destillare videmus; mox finitis praelectionibus, quidam ad aurae refrigeratio-

ratio-

rationem captandam in hortos instructissimos atque amoenissimos, Daphnona, ambulationis intercolumnia, vel in recessus iucundos, nemoribus manu confitis, eunt; alii dulcicula potione pectus studiis fatigatum reficiunt; alii adhuc inter dulcissimas fabulas cum formosissimis virginibus, quas honestis moribus esse sciunt, pectus exhaustum recreant; alii globulis, alii latrunculis, alii denique chartis pictis lusitant, inter sobria pocula, et inter diuinae herbae, quam maioribus nostris America ostendit, salubres fumos se reficiunt, et ad novos labores, eruditas lucubrationes se firmant. Firmati ad labores consuetos redeunt, lucubrationes instituunt, et si oblectamenta diurna remoram quandam fecerint, iam eos aliquantulum noctes adiuuant. Magna haec sunt, sed praestantiora restant: illustris doctrina, Cratipporum et diligentia, aditus ad viros, maximis in rem litterariam meritis claros, imo ad litterarum parentes, quae tanta sunt, vt nullo cum auro, nullaque cum laurea possint conferri; hi Musarum parentes humane ac comiter excipiunt Musas, studiorum duces et auspices fiunt. Dein claritas et elegantia virtutis, quae lucem suam longe lateque diffundit, Mineruae cultores ad tantam quoque virtutis, qua hos conspicuos vident, praestantiam, imitatione consequendam inuitat. Denique cum tanta peregrinorum copia, tam ad Parnassum, quam ad Emporium, ex omnibus prouinciis, imo Europae regnis adfluere soleat, eorum animos peruestigare, ingeniisque hominum feruire addiscunt. Missa facio reliqua, quae Parnassum Lipsiensem illustriorem reddunt, et allicere solent peregrinos. Atque ne ista pauca quidem, quae hactenus delibauimus, alio a me sine dicta sunt, quam vt omnes in VESTRO, VIRI NOBILISSIMI ac DOCTISSIMI, perspiciant exemplo, quam vile sit in loco amoeno, in ciuitate celebriori studia prosequi. Vos enim fauente Minerua et plaudentibus Musis in Parnasso Lipsiensi laudum gloriam estis consecuti: Vos non ita pridem pulcerrime stare in Cathedra, et sententiam aduersariorum magna eloquentia

tia

VIII

tia frangere, cum insigni laetitiae voluptate vidimus atque audiimus. Iam exquisitissimae doctrinae succo non leuiter tincti, sed penitus imbuti, supremum nobis vale dicere, Parnassum ciuitatemque derelinquere VOBIS est constitutum. In societate, quae sub moderamine VIRI MAGNIFICI atque EXCELLENTISSIMI, cuius indolem Pallas ipsa finxisse videtur, ingeniosa contentione in philosophicas inquirat veritates, Vos laudis praerogatiuam mirabili ingenii vbertate, summa eruditione, elegantissimi dicendi facultate reportastis: iam a nobis, studiis VESTRIS ad maturitatem perductis, disceditis: TEQUE DOCTISSIME SCHWARZI, patria, melle et deliciis omnibus gratior, expectat, et honores offert et dignitates. Gratulatur VOBIS, VIRI NOBILISSIMI AC DOCTISSIMI, nostra societas, me interprete, hanc felicitatem, et in dies novos fortunae et honorum accessiones deditissimo precatur animo. Absit a VOBIS omne malum multiplex ac tortuosum, nec felicitas VESTRA vllis incommodorum casibus turbetur. Sic laetabimur semper, Vos, Amicos suauissimos, et honoribus florere, et prosperitate valetudinis perfrui. Valete, et nostram erga Vos benevolentiam imitami-
ni, quae bona est, et quam fides perpetuo comitabitur. Iam vero date oscula, et vltimum hoc gaudium, fati-
properantibus, rapite.



Yc6769

ULB Halle 3
003 350 355



5b.


Rehr ✓ 9.1.01

N.C.

1517







50
412.

COMMENTATIO EPISTOLICA
QVA INQVIRITVR:
AN IN VNIVERSITATE, LOCO AMOENO
ATQVE IVCVNDQ SITA, ALTIORIBVS STVDIIS
IVCVMBERE CONDVCAT?

INSIMVL
VIRIS DOCTISSIMIS AC NOBILISSIMIS

**ENGELBERTO HENRICO
SCHWARZIO**

NOTAR. PVBL. CAES. ET IVRIS CANDIDATO
DRESD. MISN.

DE STVDIIS ACADEMICIS SVMMA CVM LAVDE
AD FINEM PERDVCTIS

NEC NON

**GODOFREDO HENRICO
GRVMMERT**

BIALA-POLONO
DE IIS IN ALMA NOSTRA ACADEMIA
FELICITER PERACTIS
NOMINE SOCIETATIS
QVAE SVB PRAESIDIO
VIRI MAGNIFICI ATQVE EXCELLENTISSIMI
IO. CHRIST. GOTTSCHEDII
P. P. O.
DISPVTANDO SE EXERCET
EX ANIMO GRATVLATVR
IO. GEORG. FRIDERICI, Leg. Cultor.

LIPSIÆ, LITTERIS BREITKOPFIANIS.